

Cibi olim in luctu degustati impuri cen-
 febantur; sed hæc in desuetudinem jam
 abierunt: *Sacrificia eorum*, ait Oseas 9. 4.
quasi panis lugentium: omnes qui comedent
eam, contaminabuntur. Et Israelitæ in so-
 lemni precationum formulâ cum primitias
 offerunt, protestantur (i): *Non comedi ex*
eis in luctu meo, nec expendi quicquam in ve-
funebri. Deus Ezechieli 24. 17. luctum cele-
 brare vetans, *Nec amittu*, inquit, *ora vela-*
bis, nec cibum lugentium comedes. Porro
 convivia illa lugubria erant mœstisque
 clamoribus intercepta: *Rugiant sicut in*
cena mortui (k). Et Dominus ad Jere-
 miam 16. 5. 7. *Ne ingrediaris domum con-*
vivii, (aliâs domum luctus) neque vadâs
ad plangendum, neque consolevis eos, quia
abstuli pacem meam à populo isto.
Et non frangent inter eos lugenti panem
ad consolandum super mortuo; & non da-
bunt eis potum calicis ad consolandum su-
per patre suo, & matre.

Receptam apud nos consuetudinem invi-
 fendi propinquos defuncti, ut solaminis ali-
 quid mœstis afferatur, spectare licet in
 historia filiorum Jacob, patrem interitum
 filii sui Joseph, quem à bestia voratum
 credidit, lugentem solaturi venientium
 (l); sicut & in altera fratrum Ephraim,
 dolentem patrem de nece filiorum, quos
 Gethæi peremerant, convenientium (m).
 David missis legatis cum Ammonitarum Re-
 ge de obitu patris ipsius doluit [n]. Ami-
 ci Job, audito amici casu, statim accurre-
 runt, doloris sui argumenta exhibituri
 (o). Propinqui & amici Lazari, auditâ
 viri morte, Bethaniam statim venerunt,
 viduas fratre sorores Mariam, & Mar-
 tham solaturi (p).

Archelaus post celebratum totâ hebdoma-
 dâ funus Herodis, magnificentissimo epulo
 populum excepit, quem morem inter Ju-
 deos ejus ætatis, teste Josepho, receptum,
 ut scilicet largiori epulo defuncti propin-
 qui reficerentur, pluribus tenuioris cen-
 sùs non ferendorum sumptuum causam
 fuisse idem Josephus animadvertit (q).

Alter etiam apud Priscos mos obtine-
 bat, ut scilicet dapes, & vinum super
 mortuorum sepulchra constituerentur. To-
 bias 4. 18. filium suum monet: *Panem tuum,*
& vinum tuum super sepulturam Justî con-
stitue, & noli ex eo manducare & bibere
cum peccatoribus. Eccli. 30. 18. *Bona ab-*
condita in ore clauso, quasi appositiones
epularum circumposita sepulchro; & 7. 37.
Gratia dati in conspectu omnis viventis,
& mortuo non prohibeas gratiam. Baruch
 6. 26. *Sicut mortuis mensura eorum illis*
apponentur (nempe Idolis); & infra vers.
 31. *Rugiant (Sacerdotes Idolorum) cla-*
mantes contra Deos suos, sicut in cena mor-
tui. Scitum est apud Paganos eundem
 morem regnasse, sicut & apud Christia-
 nos; quanquam apud istos æquè ac Judæos
 convivia ista pietatis essent, alendis pau-
 peribus destinata (r). Sed in abusus pie-
 tate degenerante factum est, ut convivia
 apud Afros contrariâ lege S. Aug. abole-
 ret [s].

Toto luctus tempore propinquiores de-

i Deut. 28. 14.

k Baruch 6. 23.

l Gen. 37. 35.

m 1. Par. 7. 12.

n 2. Reg. 10. 2.

o Job. 2. 11.

p Joan. 11. 31.

q De bello 1. 2. c. 1.

r Chryst. in Math. & alibi. Aug. de Civ. 1. 8. c. 27. & alibi.

functi, uti parentes, filii, conjuges, fratres,
 sorores domi se continentes, & terrâ
 assidentes cibos degustabant. Vultum ha-
 bebant velatum (t), totoque luctus tem-
 pore neque operibus vacabant, neque Le-
 gis lectioni, nec consuetis precibus, do-
 mesticisque curis; lectos habebant incom-
 positos, pedes nudos, caput coopertum;
 usus conjugii nullus; capillos gerunt in-
 tonsos, ungues non absciunt, saluta-
 tio nulla, nullus balnearum usus, à novis
 alentibusque vestibus abstinent; nemo
 cum illis colloquitur, nisi antea ab illis
 provocatus; scriptum est enim Jobum ami-
 cos suos primum compellasse (u). Si ca-
 put quassarint, eo indicio solatium sibi af-
 ferre creduntur; si quieverint, solatium
 ab aliis querere (x). Quicumque illos so-
 laturi conveniunt, solo, quemadmodum &
 mœsti illi propinqui, assident. Bis singulis
 diebus mane & vespere decem saltem ho-
 mines eò venientes, consuetas preces emit-
 tunt, Psalmum 48. recitant; cum neque
 exire domo, neque Synagogam petere,
 exceptâ die Sabbati, luctum agentibus liceat.
 Cum igitur domo egressi Sabbato
 Synagogam veniunt, turbam habent ami-
 corum comitantem, eademque die amio-
 rum visitationibus præ cæteris diebus fre-
 quantantur.

In vestibus nihil habent peculiare, sed
 consuetum regionis morem servant; fami-
 liarior tamen in luctibus Hebræorum pul-
 lus color (y). Post hebdomadam ad Sy-
 nagogam se conferentes, lampades incendi,
 preces & elemosynas pro Defuncti sola-
 mine offerri curant. Paria in exitu men-
 sis & anni repetunt, quibus diebus si for-
 tè Defunctus Rabbini munus obierit, vel
 dignitate aliquâ functus fuerit, funebri
 elogio ejus laudes celebrantur. Solent fi-
 lii singulis diebus mane & vespere undecim
 mensium spatium in Synagoga orationem
 Kadesch animæ parentum suorum suffra-
 gium recitare; nec defunt qui singulis
 annis recurrentes emortuales alterutrius
 parentis dies esuriales habeant.

Quanquam totâ septiduo funera lugeri
 fuerunt, breviori quandoque luctu iusta
 peracta videntur. *Fili, in mortuum,* in-
 quit Eccli. 38. 16. 17. *produe lacrymas, &*
quasi dira passus incipe plorare, & secun-
dum judicium contege corpus illius, ut non
despicias sepulturam illius. Et fac lu-
ctum secundum meritum ejus uno die, vel
duobus propter detractionem; à tristitia enim
festinat mors. Sed præscripsit Author vi-
 detur regulas, quibus in funere carissimo-
 rum dolor temperetur, non morem innuis-
 se contra veterem consuetudinem. Alibi
 enim conceptis verbis exprimit: *Luctus*
mortui septem dies (z); totum illud tem-
poris spatium lacrymis dedisse Author re-
prehendit; sed ita indulgendum censet na-
turæ, ut una vel altera dies dolori con-
cedatur, (vix enim acerbum adhuc do-
lorem posset quis statim continere) ac dein-
dè in auxilium veniant mœrentis ratio si-
mul & Religio.

Docent etiam Rabbini, probantque plu-
 res doloris gradus; tres priores dies la-
 cry-

t Ezech. 24. 17. Nec avil- flu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

u Job. 31.

x Maimonides, Gejer. de luctu Hebr. c. 6.

y Job. 30. 28. Ps. 34. 14. & 37. 7. & 41. 10. Jerem. 8. 21. Malac. 3. 14. Eccli. 19. 23.

z Eccli. 22. 7.

crimis & animi ægritudine indulgeri per-
 mittunt; septem inde dies remissiores du-
 ci jubent; tandem triginta dierum spatium
 luctum agi leviores volunt. Hujus luctus
 varias periodos Scriptura etiam insinuat.
 Amittum filium pluribus annis Jacob fle-
 vit; non antea dolori finem impositurus,
 quam ipse vitam clauderet (a). Ejus
 verò, nempe Jacobi, funus 70. dierum
 spatium in Ægypto plorant, prorogatus
 que est deinde ad hebdomadam luctus in area
 Athad in Chanaanitide (b). Luctus pro
 funere Moysis & Aaronis intra 30. dies
 definitus est [c], quam periodum Sapien-
 tibus satis esse dixit Josephus in lügen-
 do carissimorum funere (d). Interdum
 non definito dierum numero complures do-
 loris dies in Scriptura significantur. Sep-
 tem dies implevit funus Saulis (e), Ju-
 dith (f), & Herodis Magni (g). Quod
 ad Paganos spectat, Simonides unam diem
 dolori præscribit. Ovidius de luctu Or-
 pheï in funere conjugis:

a Gen. 37. 35.

b Gen. 50. 3. 11.

c Num. 20. 30. Deuter. 34. 8.

d Antiq. 1. 4. cap. 8.

e 1. Reg. 31. 13.

f Judith. 16. 29.

g Antiq. 1. 17. cap. 10.

..... Septem tamen ille diebus
Squalidus in ripa, Cereis sine mune-
re sedit.
Cura dolorque animi, lacrymaque alimen-
ta fuere.

Solebant interdum propinqui Defuncti
 ad tumulum lugendi gratiâ venire. Maria
 soror Lazari domum egressa in occursum
 Christi venientis, ad fratris sepulchrum plo-
 ratum ire credebatur (h). Solent nostrâ
 etiam atate Syrorum scemina, satellitio
 aliquo comitum adhibito, sepulchra propin-
 quorum frequentare, nanis quibusdam
 ejulaturæ. Obiinet hodie usque consuetudo
 publico solemnique luctu mortuos plan-
 gendi in Oriente ferè universo, quemad-
 modum & in Græcia, Dalmatia, Bulgaria,
 Croatia, Servia, Valachia, Illyrico,
 neque latet Turcas & Perfas.

h Joan. 11. 31. Vide Gejer. de luct. Hebr. c. 6.

i Leo. Mo- den. p. 4. cap. 10.

Dogma de Paradiso, Inferno, & Pur-
 gatorio sanctum erat apud Judæos (i).
 Illum vocant *hortum Eden*, sedemque con-
 stituunt viris probis beatitudine atque
 Dei visione potentibus; alterum *gehennam*,
 quem locum tormentorum impiis statuunt.
 Sed qui aeterno supplicio addican-
 tur, rari sunt, inquit Judæi; alii ad cer-

tum tempus damnantur, quibus proinde
 Infernus Purgatorii loco habetur, neque
 enim alterum ab altero locus, sed sup-
 pliciorum duratio distinguit. Habent au-
 tem persuasum, Judæos omnes, modò se
 ab hæresis crimine servent immunes, to-
 tumque id habuerint sanctum, quod tan-
 quam majoris momenti à Rabbini præ-
 scriptum est, ad Purgatorium damnari pos-
 se, ad Infernum non posse. Alia est Tal-
 mudistarum sententia à Buxtorfio Synag.
 Judaicæ cap. 35. relata, autumantium, ani-
 mas è corpore egressas nil latere eorum,
 quæ in toto terrarum orbe contingunt,
 quippe quæ integro anni spatium per orbem
 vagentur, antequam in Cælum recipian-
 tur. Interim illæ sæpè, inquit, ad sepul-
 chrum ventitant, per regiones discut-
 runt, eventum omnium testes oculatæ.
 Uno verbo tenent, nunquam animas in
 Cælum ascendere, nisi corpore prius in
 cinerem resoluto, juxta illud Salomonis
 Eccl. 12. 7. *Et revertatur pulvis in terram*
suam unde erat, & Spiritus redeat ad
Deum, qui dedit illum. Addunt insuper
 (k), post conditum sepulchro Judæi cada-
 ver, Angelum mortis continuò super fos-
 sam assidere, statimque animam in corpus
 regredi, jacensque cadaver relevare. Tunc
 Angelus ferreâ catenâ arreptâ, cujus me-
 dia pars alget, media candescit, valido
 corpore istu percussit, valido, inquam,
 adè, ut omnia continuò ossa disjungat,
 tertioque iterum istu vibrato, carnis reso-
 lutis compagibus totum in cinerem abeat.
 His ritè persolutis, omnes boni Angeli
 simul accurrentes, partes iterum omnes
 compingunt, restauratumque in tumulo
 reponunt. Hæc quidem in omnibus, sed
 viri probi ingentium elemosynarum pri-
 vilegio eximentur. Apud Turcas non ab-
 similis fabella vulgata est (l), de duobus
 Spiritibus atris & liventibus, qui in tu-
 mulo unâ cum defuncti corpore recondu-
 ntur. Ibi constituti assidere defunctum ju-
 bent, ejusque causâ cognitâ, si nullius cri-
 minis reum deprehenderint, quiescere in
 pace permittunt, sin minus, ambas aures
 ingenti malleo percutiunt, cujus doloris
 acerbitate ejulare miserè Defunctus cogit-
 tur.

k Elias in Thibi. Vide Buxtor. 1. cit

l Pokok. Not. Miscel. p. 241.